



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XXXVI. Vtrum Deus sit omnipotens absolutè ex se præcise?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

etiam dum punit, idest, etiam erga inimicos suos, dum agit cum ipsis, quatenus inimici sunt, nunquam potest non esse misericors in aliqua sua operatione. Ratio verò vniuersalitatis iustitiæ diuinæ apparet ex quæst. 28. Innotuit enim ibi Deum semper, ac necessario operari iuxta legem æternam sapientiæ suæ, tribuendo vnicuique, quod congruit naturæ eius, quoad substantiam, & modum simul, vel saltem quoad modum; ita vt conferat vnicuique, vel quod eidem iam præexistenti debetur, vel certe conferat, quod non debetur, aut nondum debetur, eo modo, quo debet conferri, iuxta eius naturam, & exigentiam, vel vniuersalem simul, & particularem, vel saltem, vniuersalem solam. Quæ profecto omnia pertinent ad iustitiam legalem Dei, seu quasi legalem, iuxta expositionem, quæ habetur quæst. 19. de Iust. in qua præoccupatum est opportunè, quidquid pertinet ad examen iustitiæ diuinæ.

Art. 4. Ratio denique concordie inter iustitiam, & misericordiam Dei, quatenus vniuersales, & sibi inuicem essentialiter connexas in omni operatione diuina, fundatur in eo, quod Deus nihil cuiquam debeat absolute, & simpliciter, sed tantum ex suppositione sibi omnino libera, ideoque propriissime benefica. Quod autem debetur solum ex suppositione beneficii, superadditur deinde retenta denominatione beneficii, ex beneficio priori; simulque sortitur rationem iusti, & debiti, quatenus eadem suppositio, & quidquid ad ipsam subsequitur, fit iuxta naturam, & exigentiam rei, circa quam vtraque operatio versatur, seu potius, vtrumque genus operationis, nempe prioris ex sua natura, & posterioris. Huiusmodi combinatio iustitiæ, & beneficentiæ liberalis, propterea non necessario interuenit in operationibus creatis, procedentibus ex virtute iustitiæ. Quia creaturæ sæpè incipiunt debere ex suppositione sibi non libera, aut non continente ullam earum beneficentiam, erga eos, quibus incipiunt debere. Imò etiam si suppositio, ex qua incipiunt debere, sit ipsa libera, & inducta per liberalitatem, non tamen obligantur ad vltiorem erogationem sola sua voluntate benefica, tanquam lege, & regula astringente operationem deinde subsequitur; sed obligantur voluntate diuina, ipsis non libera. Opposita omnia verificantur de Deo, vt patet ex dictis. Nulla igitur est paritas obiectionis. Vnde præmia meritis creatis retributa, & conuersio Iudæorum, & quæcumque alia, quomodolibet attributa iustitiæ Dei, non propterea desinant esse vera eiusdem beneficia, quia merita ipsa, & quæcumque alia inducentia rationem debiti, respectu Dei, sunt eiusdem vera beneficia.

Art. 5. Iam quod postremo superadditur in obiectione, de afflictione iustorum, nihil conuincit aduersus iustitiam, vel beneficentiam Dei; quia ordinatur in maius bonum afflictorum, nempe ad maiorem cumulum, & meritum, & præmium, & ad augmentum maioris puritatis, & perfectionis in vita spirituali. Quod est iucrum incomparabiliter maius, quam sit natura bonorum temporalium, quorum sola priuatione affliguntur iusti, vt dictum est superius quæstion. 26.



QVÆSTIO XXXVI.

Vtrum Deus sit omnipotens absolute ex se præcisè?



IDE TVR; nec Deum esse omnipotentem, nec denominationem omnipotentis esse ipsi adæquatè intrinsecam, sed proueniens in adæquatè ex possibilitate creaturarum eidem extrinsecam. 1. Quia Deus est purus actus. Ergo nulla est potentia in Deo. Patet consequentia. Quia quælibet potentia opponitur actui sui generis, estque impossibilis cum eodem in eodem. Quia de causa, materia prima, quæ est pura potentia, est secundum se absque omni actu. Ergo eadem ratione purus actus, est secundum se absque omnipotentia.

2. Qualibet potentia est melior eius actus, vt dicitur Philosophus 9. Metaph. text. 19. Nihil autem est melius, quam prædicatum aliquod diuinum. Ergo nulla potentia est prædicatum proprium Dei.

3. Quidquid Deus operatur, operatur per intellectum & voluntatem, qui videlicet est perfectissimus operandi modus, atque adeo vnicè proprius Dei. Ergo in Deo non datur potentia actiua, distincta ab intellectu, & voluntate.

4. Non datur in Deo infinita potentia. Ergo nulla in eo potentia datur. Certè non datur omnipotentia. Patet Consequentia. Quia omne diuinum est infinitum; cum infinitas sit prædicatum transcendens omnia diuina, vt dictum est supra. Deinde, possibilitatem nullus est finis. Ergo repugnat Deo potentia, quæ non sit infinita, nec potest esse omnipotentia, id est potentia complectens omnia possibilia, si infinita non sit. Probatur Antecedens. Primum ex Philosopho dicente 3. Phys. t. 63. Omne infinitum esse imperfectum, quale nihil potest esse in Deo. Deinde quia repugnat effectus infinitus, vt supponitur in præfati dictis in Physica: frustra autem est potentia, quæ non reducitur ad actum, multò verò manifestius, cui repugnat, vt reducatur in actum. Denique, sicut est de conceptu hominis, & ignis, vt possit producere alium hominem, & alium ignem, ita est de conceptu potentiæ infinitæ, vt possit producere effectum infinitum. Confirmatur ex Philos. inferente 8. Phys. t. 79. Quod si potentia alicuius corporis esset infinita, moueret in non tempore, seu in instanti, id est, velocitate infinita. Ergo si daretur alia cuiusvis generis potentia infinita, posset in eodem genere efficere effectum infinitum.

5. Ideò, dicitur Deum posse facere hominem, & non posse facere hircocerum, quia homo est possibilis ex suo conceptu, hircocerus verò impossibilis. Non autem dicitur similiter de conuerso, ideò hominem esse possibilem, & hircocerum impossibilem, quia illum Deus facere potest, hunc non potest. Ergo posse, & non posse, non conueniunt Deo ex se præcisè, sed per denominationem saltem inadæquatè extrinsecam à possibilitate, & impossibilitate eorum, quæ potest, & non potest efficere. Confirmatur, quia in qq. de Potentia Dei absoluta, quibus queritur an Deus tale, vel tale quid efficere possit, omne Philosophorum, & Theologorum studium in hoc incumbit, vt appareat, qualia sint rerum prædicata, de quibus id queritur, & an rectè ea inter se cohareant, non verò qualis sit potentia Dei. Ergo ratio, ob quâ Deus possit aliquid, vel nō possit, non se tenet,

M

saltem

saltem adæquatè ex parte potentie eius, sed ex parte eorum, quibus ex se conuenit posse fieri, vel non posse fieri.

6. Non repugnaret Deus, repugnantibus creaturis, quæ sunt possibiles de facto. Ergo potentia Dei ad faciendum ea, quæ de facto facere potest, non est adæquatè intrinseca Deo. Patet consequentia. Quia in euentu posito, non daretur potentia in Deo, ad faciendum ea, quæ de facto facere potest; cum nulla possit esse potentia ad impossibile. Quod autem non datur pro aliquo euentu, non potest identificari adæquatè cum eo, quod datur pro eodem euentu. Probatur antecedens. Quia Deus non repugnat propter repugnantiam hircocerui, hominis leonis, & similibus, quæ datur de facto. Si autem repugnarent, quæ de facto sunt possibilia, repugnantia eorum esset eiusdem rationis cum repugnantia eorum, quæ repugnant de facto. Ergo eadem ratione, non repugnaret Deus in casu posito, quæ non repugnat de facto. Deinde, effectus producibilis à pluribus causis, non repugnaret, repugnante aliqua tantum ex illis. Ergo neque causa, quæ potest producere plures effectus, repugnaret repugnante aliquo, vel aliquibus tantum ex illis.

Tertiò, non cognoscit de facto Deus se repugnatum, si repugnarent aliqua ex iis, quæ sunt possibilia de facto. Ergo non est verum, quod Deus repugnaret in eodem euentu. Patet consequentia; quia Deus cognoscit omne verum, ac proinde non est verum, quod ab ipso non cognoscitur. Probatur antecedens, quia si Deus cognosceret se repugnatum sub ea conditione, affirmaret de facto de se ipso conditionatè prædicata contradictoria, v. g. se fore Deum, & se non fore Deum; se fore omnipotentem, & non fore omnipotentem, sub ea conditione. Cognitio autem affirmans contradictoria de eodem, secundum idem, siue absolute, siue conditionatè, est essentialiter falsa, & falsificans se ipsam. Nempè veritas vnius partis contradictionis, se ipsa formaliter reddit falsam oppositam partem contradictionis. Eo namque ipso, quod sit verum dari lucem, est falsum dari tenebras, & è conuerso, & sic de similibus. Ergo propositio affirmans contradictoria, si dicatur esse vera, quoad vtramque partem, eo ipso deprehenditur esse falsa, quoad vtramque partem. Quod si dicatur, quoad neutram partem esse veram, eo ipso deprehenditur esse falsam, quoad vtramque partem. Quia omnis propositio, præsertim in materia necessaria, est vera, vel falsa. Repugnat autem Deo cognitio falsa, siue conditionata ea sit, siue absoluta. Quia omnis falsitas ex suo conceptu est imperfectio, atque omnis imperfectio repugnat Deo.

Denique si ea, quæ de facto sunt impossibilia, forent possibilia, non propterea repugnaret Deus; sed eodem modo ea posset producere, quo producere potest, quæ sunt possibilia de facto. Ergo neque repugnantibus iis, quæ de facto sunt possibilia, repugnaret Deus, sed eodem modo, non posset ea producere, sicut nequit producere, quæ sunt impossibilia de facto. Patet Consequentia. Quia nequit Deus esse indifferens, quantum est ex se, ad possibilitatem impossibilem, quin sit similiter indifferens ad impossibilitatem possibilem; quandoquidem possibilitas impossibilem, constituitur formaliter, & adæquatè ex impossibilitate possibilem, vt paulò post patebit. Probatur Antecedens à paritate, ex D. Th. in præsentia quæst. 14. art. 12. ad 5. Dato autem, ait, quod essent aliqua infinita actu secundum numerum, puta infiniti homines, vel secundum quantitatem continuam, vt si esset infinita aer (vt quidam antiqui dixerunt.) (ipse verò vtrumque putat esse chimericum) tamen ma-

nifestum est, quod haberent esse determinatum, & finitum, quia esse eorum esset limitatum ad aliquas determinatas naturas. Unde mensurabilia essent, secundum scientiam Dei: Ergo eadem essent similiter producibilia per potentiam Dei, si, vt sunt impossibilia, essent possibilia. Quod tamen esset falsum, si eo ipso repugnaret Deus, & potentia Dei. Non ergo repugnaret.

Art. 1. Resp. Symbolum fidei incipit à confessione omnipotentie Dei: *Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem*. Et Deus dicit de se ipso Gen. 17. 1. *Ego sum Deus omnipotens*. Idem habetur Sap. 11. 18. & 24. Marc. 14. 36. & Luc. 1. 37. Hanc veritatem esse demonstrabilem, & omnibus facile peruiam ratione naturali, docet August. ser. 119. de tempore c. 2. *Non dico, ait, da mihi Christianum, da mihi Indæum, sed da mihi Paganum idolorum cultorem, demonum seruum, qui non dicat Deum esse Omnipotentem: negare Christum potest; negare Deum omnipotentem, non potest*. Et quidem conuenire Deo potentiam actiuam, apparet clarè ex qu. 2. Vbi demonstratum est, omnia contingentia, & quibus inest perfectio coniuncta cum imperfectione, pendere essentialiter, in genere causæ efficientis, ab ente necessario, & continente in se omnem perfectionem, absque vlla imperfectione; atque hoc ens esse Deum. Præterea unicuique conuenit potentia ad alia efficienda, ratione actualitatis, & perfectionis ipsi inexistens, vt patet inducenti per omnes causas, & effectus. Deo autem conuenit summa actualitas, cum plenitudine omnis perfectionis, vt dictum est supra. Hinc sequitur, potentiam actiuam Dei esse simpliciter infinitam, iuxta illud Eccles. 18. 4. *Virtutem autem magnitudinis eius, quis enuntiabit?* quod etiam pertinet re ipsa illud ps. 144. 3. *Magnitudinis eius non est finis*. Sequitur, inquam; quia potentia cuiusque causæ est maior, vel minor, iuxta maiorem, vel minorem actualitatem, & perfectionem eiusdem. Perfectio autem, & actualitas Dei est summa, & simpliciter infinita. Subsequitur hinc rursus, Deum esse simpliciter omnipotentem, & potentiam eius actiuam esse omnipotentiam. Quia potentia actiuæ, quæ actiuæ est, est perfectio. Fieri autem non potest, vt aliqua alicuius generis perfectio non sit inclusa in infinita eiusdem generis perfectione. Quia vtiq; ratione includitur, sublati solis imperfectionibus, omnis, & qualibet duratio, & vbicatio, & omnis sapientie gradus, in æternitate, immensitate, & sapientia infinita; Et sic de aliis. Ne, scilicet, dici possit de infinito simpliciter, *huc usque pertingit, & non amplius*, assignato eo gradu perfectionis, quem non includit in se. Quod perinde profectò esset, atque dicere: Hic est finis, & terminus, infra quem, aut intra quem est, seu includitur infinitum: id est, infinitum est finitum.

Art. 2. Dicitur autem Deus omnipotens formaliter, quia potest facere omnia absolute possibilia: Inquam, absolute possibilia. Quia possibile vsurpatur dupliciter, vt docet Philos. 5. Met. tex. 17. & obseruat ex ipso D. Th. q. 25. ar. 3. Primò physice, & relatè ad aliquam potentiam actiuam, quæ existens in se intrinsecè, aliquid aliud extrinsecè denominat possibile fieri, vt expositum est q. 16. Secundò intentionaliter, seu intellectualiter, & absolute per solam habitudinem subiecti ad prædicatum, quæ, videlicet, ita sibi inuicem congruant, vt possit intellectus assentiri mutæ ipsorum identitati, aut distinctioni, quatenus non includunt in se, aut idem simul esse, & non esse; aut idem simul necesse, nec non esse. Qui extremorum dissonantiæ nequit assentiri intellectus. Prior ille possibilitatis, & possibilem conceptus non est idoneus ad manifestandum conceptum omni

omnipotentia, vt docet D. Th. loco indicato. Quia cum dicitur Deum posse facere, quidquid continetur in aliqua potentia actiua, vel est sermo de potentia creata, vel de increata, eaque vel seorsim sumpta, vel simul cum potentia creata. Primum manifeste est insufficiens ad conceptum omnipotentia diuinæ: Quia Deus potest infinita alia, vltra ea, quæ continentur in tota collectione potentiarum creaturarum. Si dicatur secundum, explicabitur idem per idem; solumque dicitur Deum posse facere quidquid ipse facere potest vel solus, vel simul cum aliis causis à se factis. Quo nihil promouetur, vt patet, notitia præexistens potentia Dei, & amplitudinis eius. Posterior verò possibilitatis, & possibilem conceptus est utilis, & omnino accommodatus respectu nostri, ad intelligentiam omnipotentia. Quia intellectus ex sua natura, est quodammodo omnia, seu est, quo omnia fieri, vt dicitur in 3. de anim. tex. 18. Amplectitur enim per assensum totam latitudinem entis, & reiecit per dissensum, quidquid est extra eam latitudinem. Vnde assensus, & dissensus intellectus fundatus in apprehensione, & habitudine mutua terminorum secundum se, & quidditatiue est conuertibilis cum possibili, & impossibili. Præterea notus est intellectui, quod conuenit rebus relatè ad ipsum, & ad ipsius actus, quàm quod conuenit relatè ad alias potentias, & earum actiones. Quia intellectus, simul cum suis actibus, innotescit sibi per suos ipsos actus, eosque, & se experitur, dum intelligit, atque eorundem perceptio, est ratio percipiendi cetera. Optima igitur expositio Dei, quatenus omnipotentis est, quod possit facere quicquid ex habitudine, & apprehensione terminorum non apparet, repugnare, vt fiat. Quod tamen intelligitur, comparatione facta ad intellectum cognoscentem perfecte eosdem terminos quoad consonantiam, vel dissonantiam mutua; idest, quoad inclusionem, vel exclusionem eiusdem simul esse, & non esse in eorum fieri, & esse. Hoc pacto exponit Angelus amplitudinem potentia Dei Luc. 1. 37. Dum annunciat: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Nempe ratio verbi conuenit rebus, vt subsunt assensui intellectus circa ipsas, & per denominationem ab eodem assensu.

Art. 3. Hinc fit Deum posse aliqua distributiue, & seorsim, quæ non potest simultaneè, & collectiue, tum per creationem, tum per generationem: posse aliqua facere se solo, quæ non potest simul cum causa secunda, & è conuerso, posse aliqua simul cum causa secunda, quæ non potest se solo; Posse demum aliqua absolute, quæ non potest ex suppositione; & nihilominus esse absolute, & sine vlla restrictione omnipotentem. Quilibet enim possibilem potest Deus facere seorsim, & tamen collectionem omnium possibilem nequit totam simul facere. Quia cum potentia eius sit infinita, & superans infinite omne creatum, fieri non potest, vt aliqua multitudine, aut magnitudine rerum factarum exhauriatur, & nihil amplius facere possit. Similiter assensum, & dissensum eiusdem veritatis contingentis potest gignere seorsim, simultaneè non potest in eodem intellectu; & sic de aliis inuicem impossibilibus, id est, dissonantibus intellectui copulatiue, & non dissonantibus distributiue modo dicto. Potest itidem facere absque cooperatione causæ secundæ, & cum eadem non potest, quæ per solam creationem fieri possunt. Potest verò è conuerso efficere cum causis secundis, & absque eisdem non potest, actiones ipsarum, actus vitales, & præsertim actiones liberas creatas meritorias, & demeritorias. Postremò fieri à Deo non potest, vt præteritum non fuerit præteritum ex suppositione, quod iam præterit, tamen absolute facere

R. P. Esparza. Curs. Theol. Tom. I.

potuerit, vt nihil esset præteritum, quatenus facere absolute potuit, vt nihil vnquam existeret; fieri tamen non potuit, vt aliquid simul esset, & non esset, siue de præterito, siue de presenti, siue de futuro. Verum nihil horum tollit à Deo rationem omnipotentia, & quod simpliciter, ac proprie omnia, & quolibet facere possit. Quia posse, & non posse facere, non dicuntur proprie, nisi respectu possibilitum absolute, & ex habitudine mutua terminorum, iuxta expositionem nuper datam. Nihil autem eorum, quæ dictum est, Deum facere non posse, est eiusmodi. Quare de illis, deque aliis similibus quibuscumque potius dicitur esse talia, quibus ex se, seu ex recta apprehensione terminorum conuenit non posse fieri, vel simpliciter, vel tali modo, aut ex tali suppositione, atque Deum ratione suæ perfectionis, & formaliter per se ipsum fundare intentionaliter, respectu nostri, & absolute constituere physice talem eorum impossibilitatem, ac repugnantiam, iuxta dicta supra in quaestione illa 16. de possibilitate, & repugnantia rerum, indistincta realiter à Deo, quæ est cognoscibilis à posteriori, respectu nostri per assensum, & dissensum intellectus, vt nuper dicebatur. Similiter non obest conceptui omnipotentia, non posse peccare. Quia posse peccare, non est proprie posse facere, sed est proprie posse deficere. Posse autem deficere, non pertinet formaliter ad conceptum potentia, sed magis ad imperfectionem diminutam potentia: Sicut posse cæcutire, claudicare, balbutire, errare, respectu potentia visiva, ambulatoria, locutiva, intellectiva. Nempe impotentia ad istas imperfectiones, est indistincta à necessitate ad perfectiones, & ad operationes contrarias pure positivas exclusiuas priuationis, in qua consistit omnis imperfectio. Quæ necessitas consequenter est vera perfectio essentialiter exclusiuam priuationis excludentis aliquam potentiam. Quia verò hæc omnia, quæ dicta sunt de potentia Dei, deducta sunt ex actualitate, & summa perfectione Dei secundum se præcisè considerata, eademque conuenit Deo absolute ex se præcisè, & non per denominationem adæquatè, vel inadæquatè extrinsecam ab aliquo alio, patet Deum esse absolute omnipotentem ex se præcisè, non secus, ac est immortalis, æternus, immensus, &c.

Art. 4. Auctores moderni non pauci videntur hypothesei impossibili ad examen, & expositionem huius veritatis, atque inquirunt: An repugnaret Deus, repugnantibus creaturis. Quod genus disputationis, quia video ipsis admodum perplacere, atque eosdem usurpare frequenter, tum in Philosophia, tum in Theologia, tanquam ingeniosum, & valde opportunum ad eruendos subtiliter conceptus metaphysicos rerum, & felicitati nostrorum temporum tribuunt cum Puente Hurtado, & aliis, frequentem cum vsum hypothesei impossibilis, pro ingeniis subtiliter, & utiliter exercendis, eaque persuasio mihi videatur esse falsissima & penitus vana, nec parum nocens; operæ pretium me facturum existimaui, si quid, hac opportunitate vsus, breuiter in genere prædixero de eiusmodi disputationibus ex hypothesei impossibili. Dico igitur, hypotheses impossibiles non esse necessarias, aut utiles per se ad eruendam, consummandam, vel illustrandam vllam veritatem. Quia ex impossibili sequitur quodlibet, vt dicitur in summulis. Et ratio est, quia de conceptu impossibilis est, vt includat in se duo prædicata contradictoria. Vtrumlibet autem ex contradictoriis infert, contradictorium eius, quod inferitur ex altero contradictorio. Quodlibet enim contradictorium excludit omnia, quæ includit alterum contradictorium. Vnde necesse est, vt quæcumque affirmantur ex vni vnius contra-

M 2 dictorij.

dictorij, negentur ex vi alterius. Patet autem antecedens, ex quo æquè benè inferitur vtralibet pars contradictionis, & vtraque, & consequenter vtriusvis exclusio, ad nullius determinatè veritatis manifestationem, confirmationem, aut illustrationem, necessarium, aut vtile esse posse per se.

Art. 5. Exemplo res fiet manifestior, & quodammodo palpabilis. Proponitur quæstio: An si homo esset leo, rugiret tantum; an loqueretur tantum; an præstaret vtrumlibet horum; an vtrumque; an neutrum? Dico, hæc omnia, & singula æqualiter sequi per se. Quia omnis leo rugit. Nullum autem rugiens loquitur. Ergo quod foret leo, rugiret tantum, & non loqueretur. Similiter omnis homo loquitur. Nullum autem loquens rugit. Ergo homo, quidquid foret de reliquo, loqueretur tantum, & non rugiret. Rursus, quod simul est locutivum, & rugibile, nec solum loquitur, nec solum rugit, sed & loquitur, & rugit. Ergo quod simul foret homo, & leo; & loqueretur, & rugiret, nec ad alterutrum horum seorsum restringeretur, siquidem eo ipso foret locutivum, & rugibile simul. Denum cui convenit vnum ex impossibilibus, vt esse tenebrosum, eo ipso non convenit alterum, vt esse luminosum. Locutivum autem, & rugibile sunt impossibilia in eodem. Ergo cui vtrumque hoc simul conveniret, eo ipso neutrum conveniret eorum. In hunc ferè modum arguit Philosophus 4. Phyl. à t. 69. adversus opinionem antiquorum de vacuo in natura. Arguit enim: si daretur vacuum (quæ apud ipsum est hypothesis impossibilis) nullum in eo fore motum, fore quoquo versum, fore in non tempore, seu in instanti, fore in minori, & non fore in minori, sed in æquali tempore, per plenum, & vacuum etiam æquale.

Art. 6. Ratio proposita, & exemplum illi adiunctum non solum ostendunt, hypotheses impossibiles non esse necessarias, aut utiles per se, quod erat probandum; sed etiam, esse nocivas, & disputationum inexplicabiliter implicativas; altero disputantium intento ad solum prædicatum hypothesis, altero ad solum subiectum, vel vtrius ad simultaneitatem vtriusque, vel alterutro transeunte (quod facillè evenit) ab vno ex dictis terminis ad alium, aut ad simultaneitatem vtriusque. Verum superfluitas, ac inutilitas per se eiusmodi hypothesis potest alia insuper ratione specialiter demonstrari. Quia videlicet ratio, vnica prædicandi de subiecto hypothesis impossibilis vnam partem contradictionis potius, quam oppositam, fundatur in natura prædicati eiusdem hypothesis, quatenus nota independentè à tali hypothesis. Ideo enim facta suppositione impossibili coniungente subiectum cum prædicato reipsa extraneo sibi, ex. gr. *Si homo esset leo*, affirmatur vna pars contradictionis, & negatur opposita, ex. gr. *rugiret*, quia independentè ab hypothesis notum erat leonem rugire. Similiter siue subsumatur, vt minor propositio, affirmativa falsa: *Sed homo est leo*; siue opposita negativa vera: de vtriusvis, seu falsitate, seu veritate ferendum erit iudicium ex his præcisè, quæ vnicuique nota sunt, independentè à præsupposita hypothesis chimerica. Quia cum vtralibet minor sit propositio categorica, & absoluta, necessè est, vt ab iis solum dependeat, quæ absolute, & non ex hypothesis vera sunt. Quidquid igitur inferretur in conclusione, ex vi eorum tantum illatum erit, quæ independentè ab hypothesis impossibili sunt vera, & præcognoscuntur, vt vera. Quæ autem independentè ab hypothesis talia sunt, & præcognoscuntur vt talia, exercere vtrique possunt independentè ab eadem totam vim suam convincendi intellectum, quam exercent, prout coniuncta cum hypothesis, loquendo per se, & ex natura rei. Propositiones nimi-

rum omnes, inde præcisè habent vim convincendi intellectum ad assensum, vel dissensum, vnde præcisè habent determinationem ad veritatem, & falsitatem veram, vel apparentem. Patet itaque hypothesis impossibilem esse superfluum, ac inutilem per se, ad convincendum intellectum, & ad eruendam, ac confirmandam veritatem; atque independentè ab illa, æquè efficaciter, & insuper expeditius peragi posse per se, quidquid peragitur dependentè ab eadem.

Art. 7. Ultima horum omnium ratio est. Quia impossibilia, cum nullam habeant veram entitatem, nullam possunt exercere veram causalitatem. Omnis autem cognitio, ac deductio fit per intellectum cooperante obiecto per veram causalitatem, iuxta illud; *Ab obiecto, & potentia paritur notitia*. Omnis igitur illatio, quæ fit ex hypothesis impossibili, oritur reipsa ex altero terminorum realium eiusdem hypothesis, & non ex identitate, aut distinctione chimerica terminorum talis seu identitatis, seu distinctionis; nempe omnis hypothesis impossibilis consurgit ex identitate existimata, aut apprehensa entitatum realiter distinctarum in se intrinsecè, vel ex distinctione existimata, aut apprehensa prædicatorum realiter identificatorum in se intrinsecè; solamque superaddit extremis istis realibus denominationem extrinsecam contrariam modo essendi, quem habent in se à parte rei. Hæc autem denominatio fundatur in actu identificante, & distinguente, seu apprehensivè tantum, seu enunciatiue, quæ à parte rei opposito modo se habent, ac apprehenduntur, & enunciantur. Quapropter cum actus intellectus nullam vim operandi conferre possit obiectis, ultra eam, quæ ipsi inest, vt sunt in se, & secundum se à parte rei, istamque solam applicet ad operandum, seu cooperandum; pater hypothesis impossibilem non posse per se ullam exhibere intellectui cooperationem specialem, ad manifestandam aliquam veritatem, ultra eam cooperationem, quam exhibere possunt, vt diuisa ab ea hypothesis; atque ideo hypothesis impossibilem, se habere purè materialiter, & concomitantè per se, respectu veritatis, quæ deinde inferretur; ita vt, quælibet veritas illata ex suppositione impossibili, æquè vt minimum efficaciter, & præterea expeditius, & clariùs inferri poterit per se ex extremis eiusdem hypothesis cognitæ sine fictione, & vt sunt in se. Imò si intellectus vtatur iisdem extremis, vt subsumunt hypothesis impossibili, quæ impossibilis est, nunquam poterit inferre, nisi puram falsitatem. Quia in impossibili, quatenus impossibile, ac falsum est, tam non potest contineri aliquid possibile, & verum, quàm non potest contineri lux in tenebris, album in nigro, bonum in malo.

Art. 8. Necessè itaque est, hypothesis impossibilem se habere purè materialiter, & per accidens in argumento inferente aliquod verum, ac proinde esse inutilem, minimèque necessariam per se ad illationem veritatis: illationem verò esse falsam, & chimericam, quandocumque in argumento adhibetur hypothesis impossibilis, formaliter vt talis, & insinuat per se in conclusionem. Cum enim dicitur, *si homo esset lapis, esset quantus*; inferitur quidem verum, sed hypothesis impossibilis se habet purè materialiter, & per accidens. Quia identitas hominis cum lapide non ex eo est impossibilis, & chimerica, quod lapis est quantus, cum hoc prædicatum sit vtrique commune; sed ex eo, quod lapis est inanimatus, & irrationalis, & inorganicus. Quod si illatio nitatur identitate hominis cum lapide, quatenus lapis est inorganicus, inanimatus, & irrationalis, pater illationem fore, falsam & chimericam. Solum enim inferri poterit, illa eadem prædicata convenire homini. Prædicatum autem illud

illud quanti, commune homini & lapidi, est inferibile per se, atque verificabile, respectu vtriusque secundum se, ex iisdem prorsus indicis, atque argumentis. Quia vtrique formaliter, & præcisè, ut quantus, habet eisdem effectus, proprietates, & causas. Eadem porro ratio est, de omni alia suppositione, ac illatione. Hypothesis ergo impossibilis, vel nocet illatione falsitatis, vel certè est inutilis per se, minimeque necessaria ad illationem veritatis, necnon ad confirmationem, & qualemcumque illustrationem eiusdem; proptereaque adhibetur vsque adeo raro ab antiquis, & magnis, ac profunde sapientibus auctoribus, solisque placet leuioribus ingeniis, ac superficialiter doctis.

Art. 9. Fieri nihilominus potest, ut eadem hypothesis impossibilis euadat utilis, & necessaria per accidens, ad persuadendam alicui aliquam veritatem. Quia videlicet fieri potest, ut aliquis affirmet aliquid impossibile, aut neget aliquam veritatem necessariam, simulque retineat veritatem, aut veritates alias conuertibiles re ipsa cum veritate, quam negat, aut impossibiles cum falsitate, quam affirmat: & præterea adhæreat magis veritatibus illis, quam huic affirmationi falsæ, & negationi veritatis. Quo posito, manifestum est, quod si is doceatur per adiunctam minorem, de conuertibilitate veritatum, quales admittit, cum ea, quam negat, atque ideo necesse esse, ut vel illas dimittat, vel admittat istam, admissurum ipsum esse veritatem, quam negabat. Eadem ratio est de dimissione falsitatis affirmatæ, si ostendatur per adiunctam minorem impossibilitas earundem veritatum, cum eadem falsitate. Hoc pacto vsus est hypothesi impossibili Philosophus, loco supra indicato, aduersus dicentes vacuum constitui aëre, illudque spatium esse vacuum, in quo nihil esset, nisi aër. Subiunxit enim, expulso aëre, non propterea spatium fore plenum, sed magis vacuum. Quod illi negare non poterant, cum vel propter solam manifestissimam respirationis experientiam, firmissime tenerent, aërem esse aliquid, effectque rursus manifestissimum, expulsionem alicuius nihilitati, seu vacuitati nocere minimè posse. Eodem etiam modo, vsus est hypothesi impossibili Ioannes Theologus in Conc. Flor. aduersus Græcos negantes processionem Spiritus Sancti à Filio. Subiunxit enim, eo ipso Spiritum Sanctum non fore distinctum à Filio. Quod ipse conuincebat efficaciter, ut infra patebit, & non poterant admittere Græci, firmiter adherentes scripturis docentibus aperte Spiritum Sanctum distingui à Filio. Vtrobique autem conclusa est per accidens ea sola pars contradictionis determinatæ, quæ erat vera. Quia, qui impugnabantur, utrobique ignorabant esse chimericum, & impossibile, quod præsupponebatur. Si enim hoc illis innotuisset, iure optimo obieissent, æquè benè sequi oppositam partem contradictionis, ex suppositione facta, ideoque nihil determinatè, ac vtiliter concludi. Nempe dixissent Philosophi: Si vacuum est aër, aërem esse nihil, & aliquid, ideoque expulso aëre, simul excludi aliquid, & induci aliquid oppositum illi nihilo, ac demum retineri adhuc vacuum, simulque repleti. Idemque dicitur proportionaliter de Græcis. Sola igitur accidentaliter ignorantia impediuit illationem oppositæ partis contradictionis, & reddidit vtilem argumentationem.

Art. 10. Iam in re nostra (satis enim superque dictum erit de reclusa vsque adeo inani in genere) in re inquam, nostra, à neutra disputantium parte, ignoratur impossibile, & chimericum esse, ut quæ sunt possibilis, repugnent. Vnde ex ea suppositione, apud nullos duos disputantes potest esse absolute,

aut necessaria, aut utilis vlla argumentatio. Quod si placeat, ex condito agere ad modum credentium, in suppositione nihil contineri impossibile, (quæ fictio reflexa, est valde difficile, ut retineatur fideliter in toto decursu disputationis) oportebit ut fiat recursus ad principia nota; independentem ab hypothesi re ipsa impossibili, iuxta dicta in superiori discursu. Quo ipso reddetur superuacanea suppositio impossibilis, ut ibidem patet. Apud me certum est, eo modo argumentandi, ex data hypothesi solum concludi, Deum repugnaturum. Quia semel, atque iterum ostensum est supra qu. 2. in prima demonstratione existentia Dei, & clariùs, atque ex professo, quæst. 16. possibilitatem, & impossibilitatem necessarias eorum omnium, quæ re ipsa possibilis, & impossibilis sunt, esse indistinctas realiter à Deo, atque Deum ratione suæ perfectionis denominare extrinsecè, tum possibilis, tum impossibilis, & repugnantia, quacumque talia re ipsa sunt. Manifestum autem est, repugnante aliquo, repugnare quidquid est realiter iustificatum cum ipso. Repugnaret igitur Deus, tum repugnantibus creaturis, quæ sunt possibilis; tum non repugnantibus, quæ sunt impossibiles. Ex quibus denique omnibus constat Deum esse absolute omnipotentem ex se præcisè, atque hoc attributum esse adæquatè intrinsecum ipsi non secus, quam æternitatem, immensitatem, &c.

Ad 1. Puro actui solum repugnat potentia passiva perfectibilis per formam sibi superadditam. Quapropter nulla talis potentia datur in Deo. Non tamen repugnat, sed maximè congruit potentia actiua, quæ est potentia non accipiendi, sed dandi, ideoque est propria abundantis bonorum, atque est infinita in abundanti infinitè, uti abundat Deus.

Ad 2. Philosophus loquitur de potentia perfectibili per suum effectum, & quæ indiget effectu suo, seu de potentia actiua, quæ est coniuncta cum potentia passiva, qualis est omnis potentia creata. Non autem talis est potentia diuina, utpotè perfectiua aliorum absque aliqua perfectibilitate sui per aliquid distinctum ab ipso.

Ad 3. Potentia Dei distinguitur ab intellectu, & voluntate solum ratione nostra, sicut distinguuntur inter se cætera attributa diuina, ut dictum est, qu. 4. ad 6. quatenus in creatis datur potentia physica effectiua, distincta realiter, ab intellectu, & voluntate, relatè ad quam concipi potest Deus formaliter, ut actiua, physice, quin eodem conceptu concipiatur formaliter, ut intellectiua, aut volitiua. Distinguitur ergo potentia effectiua Dei ad extra, ab intellectu, & voluntate, eodem prorsus modo, quo inuicem distinguuntur intellectus, & voluntas, intellectio, & volitio diuina.

Ad 4. Potentia Dei actiua est simpliciter infinita, ut dictum est, & benè probatur in obiectione. Ad primam probationem in contrarium. Philosophus loquitur, de infinito materiali, & quantitatio non terminato per formam. Non est autem huiusmodi infinitas potentia actiua Dei, quæ, videlicet, non mole talis est, sed perfectione. Ad secundam probationem conceditur repugnare effectum creatum categorematicè, & actu infinitum in omni genere. Sed non propterea perperam datur infinitas potentia in Deo. Quæ, videlicet, non esset perperam, etiamsi nihil finitum vnquam produceret. Quia potentia Dei non respicit suos effectus tanquam finem suum, sicut respiciunt potentia actiua create, sed potius est finis vltimus eorum omnium, quæ facere potest: illud autem tantummodò est perperam, quod non assequitur finem suum. Licet ergo potentia create essent perperam, si non reducerentur ad actum, quia eo ipso

non assequerentur finem suum; potentia tamen Dei non esset perperam, tamen in nullo suo effectu reduceretur ad actum; quia fini repugnat esse perperam, cum sit ratione sui; & fieri non possit, ut non assequatur, seu formaliter, seu eminenter se ipsum. Deinde, licet Deus non possit efficere infinitum, propter imperfectionem præponderantem, & repugnantiam essentiali infiniti creato, de quo alias; potest tamen efficere finita, in infinitum, secundum numerum, & magnitudinem, tam molis, quam perfectionis; & præterea, quicquid vult efficere, exequitur infinita vi, atque infinite inimpedibili, & vtralibet, & vtraque ratione est infinita. Ad ultimam probationem. Homo, ignis, & similia, sunt causa vniuoca, atque de ratione causa vniuoca est, ut tota manifestetur in suo effectu, utque effectus participet adequatè perfectionem eius. Deus autem est causa æquiuoca; siquidem, cum nulla re alia conuenit vniuocè, ut dictum est qu. 3. atque de ratione causa æquiuoca est, ut effectus non sit æqualis ipsi, sed superetur ab ipsa. Non igitur necesse est aliquem Dei effectum esse infinitum. Illatio Philosophi idè est optima, quia corpus mouens aliud corpus, est agens vniuocum, ideoque si mouens esset infinitum, & præditum consequenter potentia infinita, effectus motionis deberet similiter esse infinitus. Quod non valere, respectu causa æquiuoca, agnuit idem Philosophus affirmans, potentiam motoris celi, esse infinitam, tamen non efficiat motum in non tempore, & infinite velocem, quia videlicet motor Celi est incorporeus, ideoque est causa æquiuoca respectu talis motus.

Ad 5. Quæ sunt priora natura secundum se, sunt posteriora, respectu nostri intellectus, propter eius imperfectionem; quia non potest cognoscere causam primam immediate ratione sui, sed per effectus, in quibus aliquantulum apparet; cum tamen ex natura rei cognitio causa sit prior cognitione effectus. Hæc igitur ratio, dicitur à nobis, Deum posse producere talem, vel talem entitatem, quia est possibilis; & non è conuerso, idè esse possibilem, quia datur in Deo potentia productiua eius; tamen si ordo obiectiuus se habeat è conuerso, in se intrinsecè. Vnde *To quia* significat ordinem causalitatis inter cognitiones, non verò inter obiecta cognitionum, quatenus cognitio rei creatæ causat in nobis cognitionem entis increati; cum ens ipsum increatum sit è conuerso causa omnis rei creatæ. Patet igitur propositiones eiusmodi causales nihil probare circa questionem propositam, cum sequantur naturam modi nostri in cognoscendo; & non naturam modi rerum in essendo. Hinc ad confirmationem dicitur similiter, idè à nobis in questionibus de potentia absoluta fieri progressum à collatione prædicatorum cuiusque rei, ad potentiam, & impotentiam Dei; tamen ipsa Dei potentia sit prima, & adequata radix omnis possibilitatis, & impossibilitatis. Nempe intellectus noster habet aptitudinem assentiendi omni vero, & dissentiendi omni falso; atque inde regulandi quodammodo, ut explicatum est supra. Art. 2. possibilitatem, & impossibilitatem rerum; quia est participatio intentionaliter vniuersalis infinite perfectionis diuinæ, simulque est notior, quam exemplar, ex quo derivatur, tanquam ex causa realiter priori, & perfectiori. Processus igitur ille, & modus determinandi questiones, inductus est, non conformiter ad exigentiam nostri intellectus, non potens cognoscere priora, nisi per posteriora, atque adeò per se ipsum, qui simul cum sua possibilitate computatur inter posteriora, respectu potentia diuinæ, physice quidem, & re ipsa quoad existentiam; quoad possibilitatem

verò, logicè, ac purè denominatiuè, & intentionaliter.

Art. 1. Ad 6. Dictum iam est repugnaturum Deum repugnantibus creaturis, quæ sunt possibles de facto, & quo sensu id verum sit. Neque verò quidquam probat in contrarium, quòd aliqua repugnet de facto, quin propter repugnet Deus, & potentia Dei. Quia sicut spectat ad perfectionem diuinæ potentia, ut denominet possibles, quæ sunt possibles de facto, utque reddat impossibilem impossibilitatem eorum: ita spectat ad perfectionem eiusdem, ut denominet impossibilia, quæ sunt impossibilia de facto, utque reddat impossibilem, & chimericam possibilitatem eorum. Imò ut sit realiter indistincta à possibilitate omnium, re ipsa possibilem, & à repugnantia omnium re ipsa impossibilem. Vnde vtralibet deficiente, æquè, eademque ratione deficeret.

Art. 2. Iam, quod effectus producibilis à pluribus causis non regnaret repugnante aliqua tantum ex illis, ex eo prouenit, quia qualibet ex talibus causis est sufficiens ad producendum effectum, absque reliquis causis; ideoque qualibet causa, se sola denominat effectum possibilem. Hæc tamen ipsa ratio probat, repugnante quolibet effectu, repugnare eo ipso omnes eius causas. Quia eo ipso deficit omnis possibilitas eius, atque idè omnis causa; cum qualibet causa per se ipsam sit possibilitas eiusdem effectus.

Art. 3. Quod ad cognitionem Dei attinet; omnis veritas, quam nos cognoscimus conditionatè, siue conditio sit possibilis, siue impossibilis, cognoscitur à Deo cognitione absoluta: & non potest cognosci, nisi cognitione absoluta, quia omnis veritas conditionata fundatur in veritate aliqua absoluta, imò est adequatè indistincta à veritate absoluta, & categorica; & omnis cognitio formaliter conditionata includit in se aliquam falsitatem, saltem secundum quid, & quoad modum apprehendendi, uti obseruatum est qu. 18. ad 3. art. 4. Vtrumque autem hoc est manifestius de veritatibus conditionatis sub hypothesi impossibili. Quia ex superiori discursu circa hypotheses impossibiles, constat clarè, omnem veritatem sub illis affirmabilem, ac inferibilem fundari adequatè in naturis rerum de facto possibilem, & esse adequatè indistinctam à veritate absoluta earundem rerum de facto possibilem. Nec est minus manifestum, cognitionem nostram affirmantem, vel negantem aliquid conditionatè, sub hypothesi impossibili, includere in se falsitatem aliquam, saltem secundum quid, & quoad modum cognoscendi. Quia apprehendit, ex parte hypothesi, ad modum identificatorum, quæ sunt distincta re ipsa, vel è conuerso ad modum distinctorum, quæ sunt identificata re ipsa. Quæ sanè imperfectio modi cognoscendi, non conformis omnino modo essendi obiecti, cadere nequaquam potest in cognitionem diuinam, utpotè essentialiter veram, quoad substantiam rei affirmatæ, vel negatæ; & quoad modum, quo illa est in se. Itaque, quod nos cognoscimus, dicendo, si repugnarent creaturæ possibles, repugnaret Deus, cognoscit Deus affirmando absolute, se esse possibilitatem necessariam rerum omnium possibilem, vel, ut alij volunt, se esse essentialiter connexum connexioni reali cum possibilitate omnium possibilem. Quæ veritas continet in se adequatè, quicquid est veri in cognitione illa hypothetica, & solam à se excludit imperfectionem iam notatam hypotheticam. Quare transmissio, vel etiam concessio, enunciationem hypotheticam sub hypothesi impossibili, esse intrinsecè falsam, & falsificationem sui per se ipsam, nisi utatur præcisione quoad subiectum, vel prædicatum, vel vtrumque, quæ Deus uti

nun

nunquam potest, negatur Deum habere aliquam talem cognitionem formaliter. Solum namque habet æquivalenter, quoad totam eius perfectionem, demptis omnibus imperfectionibus, ut liquet ex dictis.

Art. 4. Circa postremum, quod obijciatur, de casu possibilitatis eorum, quæ de facto sunt impossibilia, nihil superaddere necesse est. Quia Deus eodem modo est impossibilitas omnium re ipsa impossibiliū, sicut est possibilitas omnium re ipsa possibilem, ut dictum est. Quapropter eadem ratione, quæ ostensum est repugnaturum Deum, repugnante aliquo ex possibilibus de facto, ostenditur etiam repugnaturum, non repugnante aliquo ex impossibilibus de facto. Quod obijciatur in contrarium ex D. Th. eo modo exponendum est, quo ipse D. Thomas, exponit quaestio. 15. articul. 3. ad 2. dictum illud Philosophi 4. Topic. c. 2. *Quod potest Deus & studiosus prava agere.* Exponit autem ita, ut intelligatur quod Deus potest aliqua agere, quæ nunc prava videntur: quæ tamen si agerent, bona essent. Nempe intentio diui Thomæ, in verbis illis, & discursu obiectionis ad hoc tendit, quod si darentur aliqua infinita actu, essent mensurabilia secundum scientiam Dei, non mensurabilitate, & scientia, quæ tum darentur, & modò non dantur, sed mensurabilitate, & scientia, quæ modò dantur, & quæ in se de facto continerent possibilitatem eorum infinitorum, quæ nobis videntur impossibilia. Nec enim asserit indifferentiam Dei, & scientiæ diuinæ secundum se, seu quantum ex se præcisè, ad possibilitatem, & impossibilitatem infinitorum actu, sed solum in nostro intellectu, ad opinionem veram, & falsam, circa illa; quandoquidem D. Thom. sæpè docet neque possibilitatem, neque impossibilitatem ullam, aut ullam vllius generis veritatem necessariam, dari extra Deum, aut distinctam realiter à Deo, ut liquet inter alia, ex locis indicatis q. 2. Art. 4. & alibi non semel.



QVÆSTIO XXXVII.

Vtrum Deus sit Beatus?



DE TVR non esse Beatus. 1. quia beatitudo ex Boëtio 4. de consol. prof. 2. aliisque communiter, est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Aggregatio autem bonorum, nec datur, nec dari potest in Deo, in quo nulla est compositio, nullaque partium, aut prædicamentorum distinctio. Ergo nec Beatitudo videtur esse in Deo.

2. De ratione felicitatis est, ut sit præmium virtutis, ex Philof. 1. Ethic. c. 9. Deus autem, sicut mereri nihil potest, ita præmium nullum consequi potest; ergo nec felicitatem habere potest.

3. Non sufficiunt ad beatitudinem ea præcisè bona, quæ sunt simpliciter necessaria ad esse, & conservari. Plus enim requiritur ad delicias, & ad summum gaudium, quæ sunt de conceptu beatitudinis, quam ad depulsionem summi mali, & extremæ miserie, quæ consistunt in non esse, & in totali interitu rei. Quæ de causa Beatitudo in sacris litteris dicitur merces magna nimis, necnon mensura bona, conferta, coagitata, & superfluens; id est, plurimum superaddens iis, quæ sunt omnino necessaria, & sine quibus vivere quis non possit. Deus autem nihil habet ultra ea, quæ sunt sibi omnino necessaria, ut sit, & conferuetur. Dempto enim quolibet diuino, interit totus Deus. Ergo Deus non possidet tantum

bonorum, quantum sufficit ad Beatitudinem.

4. Princeps, aduersus quem rebellant plerique eius subditi, eumque contemnunt, non est felix. Plerique autem homines rebellant aduersus Deum, qui est Princeps omnium; eumque contemnunt, quia plerique homines peccant; atque peccatum, ex conceptu suo, est rebellio aduersus Deum, & contemptus eiusdem. Ergo Deus non est felix.

5. Solitudo opponitur beatitudini, & pertinet ad miseriam solius, ut apparet ex 4. Ecclesiastici 10. *Ve soli, quia cum ceciderit, non habet subleuantem se.* Et rursus: *Vnus, quomodo calefiet?* Necesse igitur est, ut infelicis miserie frigore rigeat solus. Vnde Ierem. 15. 17. dicitur: *Solus sedebam.* Et c. 17. 4. *Relinqueris sola.* Conuertendo utrobique solum, cum misero, ac infelici, quia videlicet, *Nequit vita esse incunda sine socio*, ut dicit Seneca. Vita vero beata est essentialiter incunda. Deus autem est essentialiter solus, utpote essentialiter vnicus, ut dictum est supra, & habetur Dan. 3. 45. *Quia tu es Dominus Deus solus*; idemque dicitur sæpe aliàs. Ergo Deus non agit vitam beatam.

Art. 1. Resp. Deus est perfectissimè, & summè Beatus, estque, per se ipsum præcisè, sua beatitudo obiectiua, & formalis, ut quod, & ut quo. Est quidem beatus ex 1. ad Timoth. 6. 15. *Beatus, & solus potens, Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Perfectissimè autem, quia adest sibi summum bonum, continens in se omnem omnis generis bonitatem puram, absque vlla imperfectione; adest verò essentialiter, & per identitatem realem, qui est modus summè perfectus habendi sufficientiam, & abundantiam omnis boni, adeoque sufficiens ad beatitudinem summè perfectam, quandoquidem beatitudo nihil est aliud, quam bonum perfectum naturæ intellectualis, quantum perfectè habitum, ac possessum ab eadem. Ob hoc ipsum Deus est sua beatitudo, & obiectiua, & formalis, ut quod, & ut quo; quia per se ipsum est summum, ac infinitum bonum, & similiter per se ipsum, est intellectio comprehensiva, & amor comprehensivus eiusdem boni; id est, summa ipsius possessio, & fruitio, quibus actibus constituitur beatitudo, ut quo, tum essentialiter, tum integraliter, seu quasi integraliter, & quoad vltimum complementum.

Art. 2. Licet autem hæc omnia sint indistincta in Deo, non solum realiter, sed etiam virtualiter intrinsicè, ut liquet ex q. 4. ideoque Deus sit æquè, eodemque modo beatus, obiectiue, & reipsa, per omnia, quæ sunt in Deo; ratione tamen nostra, & ex modo nostro concipiendi, beatitudo formalis Dei consistit essentialiter in solo actu intellectus, quo se ipsum comprehendit, ut docet D. Thom. q. 26. art. 2. Quia beatitudo creata, quoad suum realem, & obiectivum conceptum essentialem, consistit primariò, & in recto, in solo actu intellectus, quo videtur Deus, ut est in se, utpote perfectissimo inter omnes operationes creatas, atque possessivo vnice summi boni, ut dicit ibidem D. Thom. & ostendatur cum eodem in qq. de beatit. Prædicata autem, & attributa Dei distinguuntur, ordinantur, & conliguntur inter se, ratione nostra, & secundum modum nostrum concipiendi, iuxta realem distinctionem, ordinem, & constitutionem rerum creatarum, quibus illa sunt assimilata. Formalis igitur beatitudo Dei consistit, ratione nostra, in solo actu intellectus, quo intellectualiter, atque adeò modo proprio naturæ intellectualis, possidet se ipsum, & exercet operationem perfectissimam, propriam eiusdem naturæ intellectualis.

Art. 3. Inter beatitudinem obiectivam, & formalem